TENTAMEN

DE

INOCULANDA PESTE,

AUCTORE

STEPHANO WESZPR'EMI,

PANNONIO.

Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit; nec vlli Nato poſt mille ſecula praecludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi.

SENECA.

SURGEON GENERAL'S OFFICE
166
LIBRARY

LONDINI,

Litteris JOANNIS TUACH, in vico dicto *Strand.*

MDCCLV.

ARTEM variolas inoculandi pridem a barbaris *Circaſſiis*, vel, ſi mauis, *Chinenſibus* inuentam, non niſi hoc demum ſeculo in Angliam tranſlatam, cordatiores e choro medicorum tamquam ancile quoddam coelo delapſum auide arripuerunt, captis in eam rem experimentis feliciter excoluerunt, nouis inuentis locupletarunt, vt iam hoc, quo viuimus, tempore, patriciorum aeque ac plebeiorum ordo ſuos liberos huic tentamini ſubiicere nullus amplius dubitet; tanto magis quidem, ſiquidem ſummum ſuum principem, regem prudentiſſimum in auguſtiſſima ſua domo idem ſubinde facere pridem experiundo didicerit: nouiſſime quoque omnium ſuperioribus menſibus regios duos nepotes feliciter morbi euaſiſſe pericula non ſine voluptate intelleximus. Singulare hoc regis exemplum reliquoſquoque Europae principes ad ſalutarem hanc artem in ſua regna introducendam fouendamque pulcre ſane inuitat, inuitat AEſculapii filios eius praeſtantia ad eam rite exercendam, vt iunctis ita vtrimque viribus communem rerum publicarum, ſed vniuerſi humani generis ſalutem ex officiorum ſuorum ratione promouere ſatagant. Ob neglectum inoculationis hoc exercitium, vt reliqua ſilentio obuoluam exempla, ea ſuperiore anno Romae graſſata eſt variolarum contagio, vt, quum intra quatuor menſium intercapedinem peremptorum pluſquam ſex millia triſti efferrentur funere, ad leniendam ſummi numinis iram Romanus Pontifex publicum ciuibus indicere coactus ſit ieiunium. Quanta fuerit parentum ob ereptos ſibi liberos vita cariores lamentatio, ille nouit optime

399043

omnium aeſtimare, cui ita ſemel eſſe licuit felici, vt dulciſſimo parentis inſigniretur titulo. Quum pridem *Jurinius* et poſt eum alii ex inoculatorum indicibus clariſſime demonſtratum dederint vix ac ne vix quidem centeſimum quemque morbo huic contingat ſuccumbere, immo nouiſſime omnium ex trecentis huic tentamini in Noſocomio *Small-Pox Hoſpital* adpellato ſubiectis ſinguli feliciſſime morbum ſuperarunt: mirari non deſino hanc artem tam leues in hominum coetu facere progreſſiones. Non poſtrema reliquarum rationum ea forte non male ponetur, quod male feriatum quoddam hominum genus ſola ſcribendi prurigine inductum ſparſis quibuſdam in vulgus chartulis vix triobolo dignis ſufflaminare nitatur audacius. Agmen hic nunc ducit *Rev. D-l--f--e'*, cuius forte nomini parcendum fuit, aculeatis ſubinde dicteriis tamquam totidem argumentorum ponderibus vti eum ad debellandos, quos nactus eſt, aduerſarios ſtrenue militantes vindiciae ſacri ſui ſermonis ſatis ſuperque euincunt. Ad argumenta petita ex ſacro codice in genere omnia tam erudite reſpondit non ita pridem Reuerendiſſimus pater, *Js. Maddox, Epiſcopus Worceſterienſis*, in ſacro ſuo ſermone regiae ſuae maieſtati inſcripto, vt intra biennium pluſquam ſexies iam a typothetis recudi meruerit: ſi quae vero ex medicorum principiis ab huiuſmodi furfuris hominibus exſculpantur ratiocinia, ea, quum ſint ieiuna, non niſi albis deridentur dentibus. Alia via inoculationem adgreſſus eſt *S-xt-n-s* noſter ad rubrum leonem chirurgus, is puluerem quempiam multis a ſe laudatum encomiis octo ſolidis emtoribus diſtribuit, quo latens variolarum venenum mature in tenero exſtinguat corpore. Sed *Venetiis* puluis adlatus eſt. Is quippe ſeculi huius eſt genius, vt id

vnice

vnice apud *Germanos* ſit in pretio, quod *Londino* adlatum eſt, heic vero loci non niſi *Pariſienſibus* aut *Venetis* ille honos tribuitur. At quum ars empiricorum ſola ſit negotiatio, quid albicans ille puluis ſit, celare ipſa iubet religio. Non putem venditori decerni a *Parliamento* 5000. librarum ſterlingicarum in praemium, quod ante annos quindecim, et quod excurrit, *Joanna Stephens* muliercula acceperat pro *Sapone Alicantio*. Ea quidem re id ſumus conſecuti, vt artem calculos comminuendi auctore *Roberto Whyttio* iam calleamus apprime. Si hoc quoque AEgyptiacum detegeretur myſterium, forte *Edinburgenſes* pro ſua in arte medica diligentia ſuis tentaminibus *S-xt--ni* conatus promouerent. Quem puluis hic myſticus ſortiatur euentum, tempus, rerum magiſter optumus, nos propediem docebit; ſed multum vereor, ne Arabico *Holbergii* pulueri ſit quam ſimillimus. Facile intelligi poteſt, ad quam medicamentorum claſſem puluis hic referatur, ſi talis futurus ſit, qualis eſſe vendidatur, oportet corroſiuas latentis veneni particulas in ſe abſorbere per quamdam quaſi edulcurationem, et mox per tranſpirationem aut alias excretiones foras educere, non minus quam in exſtinctione fit luis venereae, ſiue vulgari illa, ſiue a Pellerino nuper tradita, vtraque enim hac methodo *praeparationes* tum ſolae *mercuriales*, tum iunctae *viperinae* et *ſolares* ob ſuam volatilitatem nimiam educunt virus infixum ſuis lateribus. Vnde non video, vt verbo ſaltim adiiciam, cur *Pellerinus Aſtruccium* tantopere exagitauerit. Liber bonae alioquin frugis IV. venditur ſolidis, ſed ſi phalerata, quibus contra virum omnium iudicio praeſtantiſſimum vſus eſt, demas dicteria, facile vno coëmeris ſolido.

Maiori profecto laude dignior vtrisque est *Wilhelmus* ille *St. Quintinus*, ciuis *Scampstonienſis* in agro *Eboracenſi*, qui rei famialiaris çommodis conſulturus ex praeſcripto receptarum inoculationis legum in brutis aniimantibus non ita multo ante hos menſes tentamen non ſine proſpero ſucceſſu inſtituit. Ex fide publica conſtat certiſſime, induſtrium hunc patrem familias venenum contagionis peſtiferum ex arte eum octo infudiſſe vitulis, quorum ſeptem morbo correpti priſtinae mox ſanitati reſtituti ſunt ex integro, nec demum effici potuit, vt morbo denuo corriperentur, quamuis in medium infectarum pecudum gregem dedita compellerentur opera. AEque feliciter ſucceſſit aliud quoque *Maltoni* inſtitutum in vetulo boue experimentum, ſuperatis quippe ille morbi incommodis, numeroſo mox pecudum gregi contagionis lue laboranti commiſcetur, conſumitur hic a ſaeuiente peſte vniuerſus, annoſus taurus ſolus domino ſuperſtes relinquitur. Vt luculentiſſime vberiori pateret argumento, dictum pecus ope inoculationis, extra omne ſerpentis mali periculum iam eſſe conſtitutum, in alia denuo plena cadauerum paſcua deducitur irrito conatu, neſciuit enim a morbo ſuperari, quem ante iam proſpere ſuperauerat. Hanc inſtituendae in brutis animantibus inoculationis methodum publici iuris fecit quidam non infimi ſubſellii *Eboracenſium* medicus in diariis *the Gentleman's magazine* pro menſe Decembri vulgatis, quam heic loci latino ſermone redditam adpinxiſſem, ſi modo conſultum fore iudicaſſem. Nullus fere dubito, quin vniuerſi promouendarum rerum domeſticarum commodis intenti patres familias hanc in brutis peſtem tranſplantandi rationem auido excepturi ſint adplauſu.

Quum

Quum haec St. *Quintini* tentamina tacitus apud animum voluerem, eam meditabundo genius ſuggerit ſuſpicandi materiem, in aliis quoque morbis contagioſis praeter variolas aeque locum dari poſſe inoculationi: non tamen inter eos *Hydrophobiam* vel *ſcabiem*, aut *luem* intelligo *veneream*, quorum illa per morſum vt plurimum, haec thalami communione, iſta ſimplice quoque propagatur contactu: ſed de *morbillis* et *peſte* mihi nunc omnis ſermo eſt. De *morbillis* nullum fere eſt dubium, quin tentamen ex voto ſit ſucceſſurum ob maximam illam, quam cum variolis habet adfinitatem originis, propagationis, curationis, et non niſi vnicuique mortalium ſemel in vita faceſſit negotium. At quum morbus hic breuiſſimo terminetur tempore, nemo adhuc medicorum, quantum ſcio, inoculationis ope anteuertere vmquam induxit in animum, quum vero ex diligenti *Razeſii* obſeruatione, immo ipſa omnium conſtat experientia in exordio vt plurimum intenſiore internarum partium (pulmonis potiſſimum) ac externarum inflammatione ſeſe manifeſtare, vnde maiorem quoque animi inquietudinem et anxietatem ob familiare illud cum corpore vinculum comitari neceſſe eſt. Non ita leuis hic morbus eſt, vt vulgo exiſtimatur, nam non numquam certis interuenientibus de cauſſis ita fit epidemicus, vt ingentem in humano genere ſtragem edere contingat. *Mortonus* notauit ad annum ſuperioris ſeculi LXXII dum CCC. quoque animas morbillis peremtas vna hebdomade fuiſſe elatas. Vnde procliue eſt colligere ex inſtituenda in poſterum morbillorum tranſplantatione non leuem praeter animorum tranquillitatem, in humanum genus redundaturam fore vtilitatem. Sed nemo non videt quaeſtionem de tranſplantanda

peſte

peſte multo ſublimioris eſſe indaginis. Conſtat ex enarrata St. *Quintini* hiſtoria, in regno brutorum animantium poſſe contagioni inoculationis ope commode occurrere, id enim,quod ibi contagioſum morbum ſtatim adpellaueram, in hominum coetu peſtem nominare praegnantiſſimae eaeque cuiuis obuiae nihil prohibent rationes. *Rich. Brockleſby* M. D. de re pecuaria bene meritus, ſcripſit tractatum ante nouennium de curanda peſtifera pecorum contagione, in quo morbi huius originem a plaga repetit meridionali imitaturus *Meadium*, qui peſtis humanae primam originem in ampliſſimam et ſordibus inquinatiſſimam totius orbis ciuitatem *Caironenſium* in *AEgypto* operoſe reiicit, eumdem propagationis modum, eamdem praecipue morbi criſin harum rerum experientiſſimus *Brockleſby* pulcre adfirmat: conſtanti quippe naturae tenore fieri, vt emphyſemata et tumores glandularum iugularium et ceruicalium ſint analoga peſtilentialibus bubonibus glandularum axillarium in hominibus, quorum vtriſque culter inciſorius facta ſuppuratione inſigne ſemper adtulit leuamentum. Quod ad curam adtinet, optime conuenire euincit cum ſua, tum *Graueneri* potiſſimum celebris chirurgi experientia, qui dum aliis tentaminibus omnibus nihil prorſus profeciſſet, vocata ea in ſubſidium cura, quae graſſanti inter homines peſti propria eſt, dimidiam infectorum partem in vita conſeruauit. Sed ſi ex his nondum prono fluat alueo inoculationem peſtis humanae aeque poſſe ſuccedere ac in brutis fit animantibus, ipſa iuuabit naturae penetrare adita.

Habet vnuſquiſque morbus contagioſus, Variolae puta,Morbilli et Peſtis, ſemina quaedam in mediis nobis ipſis, in membranis potiſſimum adipoſis earumque telis celluloſis occulte nidulantia, ad quae

dum

dum ſales corroſiui in infecto circumquaque volitantes äere ope reſpirationis pulmonum et adtractione per cuticulares poros tranſmittuntur, ſuo eos excipiunt liberali hoſpitio, tanto magis ſiquidem occultata illa morborum ſemina ea ſunt putrida humorum portio, quae glutinoſae admodum et fermenteſcentis eſt naturae et eam ob cauſſam fermentationis ope ad promouendum viſcidum et tenacem ejusmodi lentorem eſt quam accommodatiſſima, quae obſtructis vaſis capillaribus, obſtructis organis ſecretoriis, ſuccorum ſtagnationem excitat in vniuerſo glandularum ſyſtemate. Sic occultatum illud in maſſa ſanguinis fermentationis menſtruum durante morborum paroxyſmo conſumitur, pars alia agilior per inſenſibilem *perſpirationem Sanctorianam* ob nimiam ſubtilitatem in auras auolat, pars mucoſa, glutinoſa cum reliqua fabricae corporis ſentina, ſi ad viciniam epidermidis in ſubcutaneas *Stenonis* glandulas colligatur, *Variolas* et *Morbillos* efficit; ſi vero glandulas maiorum gentium *Parotidis*, *Axillares*, *Inguinales* &c obſideat, format abſceſſus, emphyſemata, carbunculos, tamquam certiſſima morbi peſtilentialis ſigna characteriſtica. Sublato ſic ſemel horum contagioſorum morborum pabulo, nihil mirum eſt eos ſemel depulſos numquam amplius in vita recurrere, quod de morbillis et variolis certum eſt: ſi quae vero in contrarium a nonnullis adferantur exempla, aut ſuſpecta ſunt nimium, aut certe naturam inter operandum ita fuiſſe languidam ob virium defectum, vt virus variolarum e ſuis latibulis exturbare nequiuerit, quin nonnullas in nido fouendas ſineret reliquias.

Quid, qualeue ſit hoc venenum, definire videtur admodum difficile, ſcimus tamen virus eſſe ſui generis

generis, vt doctiſſimus *Burgeſius* in tractatu de inoculatione Variolarum publicato, a me vero in *Latinum ſermonem* tranſlato, CAP. II. eximio demonſtrauit exemplo: dicit in noſocomio D. *Thomae* materiam purulentam casu deſumtam eſſe ex muliere tentata variolis, quae ſimul lue laborabat venerea, eamque tribus fuiſſe infuſam pueris, ſinguli a variolis correpti, nulla tamen vmquam morbi Gallici oſtentarunt veſtigia. Nullam morbi contagioſi admittunt ſui commixtionem, vt obuia cuiuis conſtat experientia, effluuia variolarum non niſi variolarum virus excitant, vt fermentatio in maſſa ſanguinis oriatur, effluuiis morbi peſtiferi nec variolas nec morbillos, nec alios quoſcumque morbos contagioſos corpori induces: non abſimili modo materia purulenta ex aegro deprompta in inſtituendo Inoculationis tentamine non niſi virus ſui generis excitabis.

Semper ad haec vſque tempora pendens animo haerebam, quae huius phaenomeni eſſet cauſſa certiſſima, quae cauſſa eſſet villicos in media infecti gregis vniuerſi atmoſphaera verſari, ipſas vero pecudes tempore contagionis hominum, tecta domeſticorum ſubire, et ſic eodem vtentes coelo ope reſpirationis et adtractionis aeque miſceri aëra cum maſſa ſanguinis partis vtriuſque, ab infectione tamen vtroſque permanere immunes: immo comeſas infectarum pecudum carnes non progignere peſtem in ſuis obſeruationibus *Lanzonius* pluribus probauit exemplis; nec amicus meus* *, qui apud *ducem Cumberlandiae* ab aliquot retro annis inſigni cum laude meret ſtipendium, vllum ſanitatis paſſus eſt detrimentum ex eo, quod ante annum quintum decimum materia purulenta ex cadauere peſte peremto inter tractandum expreſſa os hians

forte

forte adimpleuerit, licet partem aliquam inter reſpirandum deglutiuerit: tanta enim in interiore ventriculi tunica inſecuta eſt neruorum vellicatio, vt ad violentum concitaretur vomitum: nunc quidem periculum hoc euaſit, at mox anno ſequenti peſtilentiali notatus eſt ſtigmate; ſed nec nuperus vorax *Brockleſbii* corydon vllam noxam perpeſſus. Haec quidem quouis tempore vera eſſe crederem, ni diuerſum ex *Thucydide* diſcerem, qui in famoſa illa *Athenienſium* peſte, viuis a ſe depicta coloribus, aues caneſque humana carne paſtas periiſſe commemorat; ſic plantarum peſte ſibi propria laborantium fructus foliaue deglutita exſtitiſſe aliquando hominibus lethalia, *Nicol. Maſſa* eſt teſtis locuples. Quis praeterea dicet rationem, cur alii prius, alii ſerius, alii vero numquam morbo corripiantur contagioſo; nunc homines, mox pecudes magis infeſtantur ab hoc malo; quandoque mares, alias feminae cadant victimae, aliquando ſenes, nonnumquam iuniores plures multo occumbant. Fit etiam nonnumquam, vt qui ſemel morbi pertulerunt incommoda, numquam ab eo amplius excrucientur; pars alia denuo, licet rariſſime admodum, correpta vel ſuccumbat, vel euadat periculum. Horum rationem is omnium optime nouit reddere, qui in veras epidemicorum morborum cauſſas curatius introſpexerit.

Trium eas eſſe generum non male ſane diſtinxeris, vnam *internam*, alteram *externam proximam*, *remotam* eiuſdem generis tertiam. De prima in antecedentibus iam nonnihil ſubmonui, de vapidis ſcilicet illis corporis noſtri humoribus, qui in adipoſis muſculorum omnis generis cellulis nidulantur, prout id ipſum *Fridericus* quoque *Hoffmannus*, medicorum nuper in *Germania* facile prin-

ceps, cum ſuis largitur adſeclis. Hi pro diuerſitate conſtitutionis temperamentorum, peculiaris idioſyncraſiae in omnibus fere hominibus variant; variant in brutis animantibus pro multiplici diuerſitate fabricae corporis eorum, pro diuerſitate tonorum in fibris, et inde ſecutura multiplici humorum ſecretione, addam et victus ratione. Cum ingentem ita videamus natiui huius veneni in corpore hoſpitantis varietatem, non mirum, ſi quaeſitus a nobis ſuperius originis et propagationis modus tam ſit diuerſus.

Caue tamen exiſtimes, dum hic de menſtruo vel fermento morborum mihi ſermo eſt, velle etiam me vnicuique glandulae peculiare quoddam tale adſcribere fermentum, cuius beneficio omne ſecretionum abſoluatur negotium: quum illud quippe aliquam ſanguinis partem ad ſe rapuit, eam confeſtim in fluidum ſibi homogeneum immutet. Hanc opinionem ingenti quaeſitorum ratiociniorum adparatu praeter alios *Bellinus* et *Pitcarnius*, acerrimus theoreticae medicinae hyperaſpiſtes vterque, mordici confutarunt. Quae notiſſimus *Freindius* in *Emmenologia* ad euertendum menſtruorum in mulierculis fermentum adtulit, ea forte noſtrum quoque contagioſorum morborum labefactabunt fermentum? minime vero gentium. Ad ea, quae ibi in forma quaeſtionis proponit *Freindius*, reſpondeant *Graaffii*, *Baylii*, et *Ertmulleri* adſeclae, qui ſuam faciunt eam hypotheſin, nos ſolis noſtris rebus intenti ad primam hanc quaeſtionem: *Vbi fermentum iſtud deliteſcit, vt ab humoribus praeterlabentibus minime turbari aut abripi queat?* ita verbo dumtaxat reſpondemus: ſecurum, quo tam diu fruitur, hoſpitium in adipoſis inuenit corporis partibus, nam teſte celebratiſſimo *Hoffmanno*,

ob

ob texturam, quam a natura nactae ſunt, propriam prae aliis omnibus viuentis machinae partibus ſolidis vel fluidis ad occultandos et fouendos foetidos vapidosue humores illae ſunt quam maxime idoneae.

Quod vero a praeterlabentibus non turbetur, nec abripiatur humoribus, luculentiſſimo nobis ſunt documento morbi hereditarii. Indubitata conſtat experientia a ſolo patre podagra laborante podagricos vtplurimum generari liberos, id vero non aliter fieri probe nouimus ex phyſiologicis, quam quod nobiliſſima ſeminis virilis portio ouum, per anguſtos tubae Fallopianae canales ex ouario delapſum in vterum, ſua ſubtilitate penetret, et ſic foecundat non abſimili modo, quam in regno vegetabili ſubtiliſſimis pollinis partibus ex ſtamine illapſis in ſtigma piſtilli, et per ſtilum ad germen delatis, omnis abſoluitur cum Linnaeanis fructificatio. Haec ſubtiliſſima infecti ſeminis virilis portiuncula, velut totidem podagrae ſemina, occultatur nonnumquam ad adultam vſque aetatem, immo etiam ſenio prouectam. Quis vero negabit haec ſemina non niſi ſanguini et liquori neruorum inhaeſiſſe, quae mox creſcente aetate ob ingreſſum diſſolutae vitae genus, in ſinu diu fota excludantur. Sed quam iniucundus grauidae matri foetus eſt! Non abripi hoc fermentum ab humoribus praeterlabentibus, conſtat porro exemplis natorum a parentibus lue Gallica infectis, qui miſeri non ſuo ſed nefando parentum vitio mille cruciatus in vita perpeti coguntur. Taceo ſcrophuloſos, mitto ſcorbuticos, mille ſunt huius generis exempla.

Vnde ei tanta ſuppetit ſupellex, vt perpetuis impendiis exhauriri nequeat? quaerit ſecundo loco *Freindius*, Sed chartam oleo prius imbutam licet

millies aquae immerſeris, oleum ſuo loco numquam elicies; id experiri licet in veſtibus quibuſvis adipe vel oleo foedatis, conſtantiſſime macula in perpetuum adhaerebit immota, niſi lixiuio cineris clauellati vel ſimili acido alcaleſcente exturbaueris. Licet multa fermenti portio per tranſpirationem ſecedat, ſuccedit alia per reſpirationem et adtractionem eorum, quae ſunt ſui generis in äere haerentia. In Rheumaticis perpetuus fons eſt ſtagnantis acrimoniae. Quod noua teſta capit, id veterata ſapit, notum eſt ex vulgi prouerbio. Ductus pancreaticus, ductus biliarius numquam deſinent ſuccos ſuos in duodenum effundere. Zibethum et Moſchus, notum eſt, quanta ſine detrimento ex ſe emittant effluuia. Sic noſtrum fermentum in adipoſis partibus tamdiu habitare quid mirum eſt, quoad victum vi maiori ſuis fuerit expulſum ſedibus?

Verum non ſufficit in ſola hac interna morborum cauſſa ſubſiſtere, altius modice adſurgendum eſt animo, videndae ſunt breuibus cauſſae quoque externae. Earum proximam eſſe äerem omnes cordatiores largientur medici: ſed quid tandem illud eſt in äere, cuius opera recenſitas multas illas mutationes patrari experimur? *Newtonus*, aeternum *Angliae* decus, in ſua optica ſubtiliſſimum et elaſticum, neſcio quem, concepit animo ſpiritum per vniuerſum qua late patet orbem diffuſum, ſibi quoque tamen, vt ingenue fatetur, incognitum; eum forte foecundo imaginatus eſt animo, qui recentiore aetate beneficio *machinae electricae* ex omnibus promiſcue corporibus elicitur, teſte *Morino* de Electricitate corporum, experimentis nuper demonſtrata: at non facilius ex celebri hoc ſyſtemate exſculpes, admotis licet exquiſitiſſimis

mis machinis, multiplices illas morborum configurationes, quam ex putridis Peripateticorum ſympathias et antipathias occultis qualitatibus. *Meadius* famigeratiſſimus nuper medicus regius in *Tractatu de Venenoſis Halitibus* contagioſorum effluuiorum naturam ex ſalibus quibuſdam corroſiuis explicat cum ingenti, quam ſecutus eſt, et quam nunc poſt ſe trahit, medicorum caterua. Lynceis viderunt hi oculis ſinguli quidpiam, ſed per quamdam veluti caliginem: qui enim ſint illi ſales corroſiui ſecretoriis ductibus inhaerentes, eaque de cauſſa glandulas obſtruentes, non plus nobis ipſo dixerunt nihilo. Quum inficientes illas äeris particulas ſales corroſiuos adpellauerunt, in eo falli poterant nequaquam ; tales reuera eos eſſe oportet, ſed oportet eſſe *vniuerſales*, omnibus in orbe locis communes, omnium reliquorum ſalium *potentiſſimae*, *efficaciſſimae* et *penetrantiſſimae* naturae. OEdipo opus non eſt, dicam verbo, *Nitrum* eſt.

Accipe, ſi placet, vitrum forma conica iuſtae magnitudinis, cineribus, calce, adiecto modico nitro et ſale plenum, vrina ouina potiſſimnm humectatum, ſuſpende in quocumque tandem orbis angulo, vdo ſed tranquillo commiſſum ea lege äeri, vt extremo apice perpendiculariter terram ſpectet, tanta nitri per äera vbique circumuolitantis copia adhaerebit forinſecus lateribus, quae in ſuppoſitum deſtillabit vaſculum, quantam non ſperaſſes vmquam. Sed plus eſt, quod ſtatim referam. Sume vas vacuum fictile vitriatum, in quo antea calcinatum edulcoraſti argentum, expone illud libero äeri, parua ea nitri portio, qua vas in edulcoratione impraegnatum eſt, miram nitri quantitatem trahet ad ſe ex äere, vt in forma ſquamarum e lateribus obſerues decidere. Vnam libram ſalis tartari rite

cal-

calcinati, si vdo fuerit expoſita äeri, ad decem libras in pondere excreſcere, experientia vnumquemque condocefaciet.

Pauperiores patriae meae ciues in *Szaboltſienſi*, *Biharienſi*, *Békéſienſi*, aliiſque Comitatibus areas rotundas in diametro quindecim vigintiue pedum amplas in patentiſſimis campis formant plurimas, eas mox adulta aurora, quum coelum ſerenum eſt et roridum, admotis ſcopis verrendo, breui temporis ſpatio integris plauſtris cogunt in aceruos nitrum, *Szék-ſó* ſua lingua adpellatum; at incomparabili hoc naturae theſauro non niſi ſoli *Saponarii* et quidam *Cerdones*, non arte ſed caſu quopiam vſum edocti, hodie diteſcunt. O foecundiſſimam omnis generis minerarum matrem, quam paucos nacta es aequos diuitiarum tuarum aeſtimatores!

Non vnice antiquitatum rudera, vt vulgo exiſtimatur, ſed omnes vbique gentium res innoxiae vtilitatis, quiſquiliae omnes et ſordes ex vaſtiſſimo triplici naturae regno *animali*, *vegetabili* et *lapideo* collectae, et ſuo modo tractatae, amplam cum inſigni lucro patribus familias ſuppeditabunt nitri copiam, et quo ſaepius earumdem ipſarum rerum iterata fuerit excoctio, tanto maiori cum foenore dies viliſſimi laboris redditur praemium. Plenus eſt vaſtiſſimus *Oceanus* nitro, plena ea ſunt omnia, quae tumido ſuo fouet gremio, quia plenus eſt ſale marino; nullum vero ſal eſt in rerum natura, quod ignis chymici et aëris beneficio nequeas in nitrum conuertere. *Saxa*, *rupes*, *lapides* omnis generis, ſi ſtratificando fuerint calcinati, copioſe impraegnantur, quorum nonnulli ita ſunt diuites teſte *Glaubero*, vt ex quouis centenario libras decem facili extrahas negotio. Non abſimili modo ex ſolis macellis, ſi mens hominum laeua non eſſet,

par-

paruo labore non contemnendum facere poſſent lucrum: centum librae emiſſi ſanguinis enectorum animalium octo decemue libras in ſe continere, certo euictum eſt experimento. Pondus humani ſanguinis *Keilius* licet Metaphyſice in tantum augeat, *Harueius* vero cum *Moulino* Arithmetice diminuat, vt neutri fidem habeas, nos tamen cum vulgo medicorum dicimus xxv. libras excedere minime: oportet itaqne nos duas ad minimum nitroſi ſalis libras in vaſis noſtris circumferre.

Sed ne quid diſſimulem, Nobilis *Floyerus* fuit omnium ita ſagaciſſimus, qui in ſua ΨΥΧΡΟΛΟΥΣΙΑ, ſeu de *Balneis frigidis* nos moneret, nec ignem vrere, nec animal vllum ſine aëreo nitro poſſe viuere. Non fefellit profecto virum eruditiſſimum tam felix coniectura. Quum folliculi beneficio aërem impellis in accenſum ignis pabulum, nitroſi ſales vna cum aëre ad bituminoſas et ſulphureas carbonum ligniue partes delati congrediuntur inuicem inimici, et pugnam inter ſe inſtituunt acerrimam, quo magis hoſtes inſtigare pergis, tanto acrior pugna euadit, id eſt, vt ſine aenigmate loquar, ignem habebis magis magisque calentem. Sume vas quodcumque inſigni magnitudine, perlucente feneſtra inſtructum, accenſam impone lucernam, impone pullos animalis cuiuſpiam teneros, obtura mox probe vaſis orificium: lucernam videbis interiecta mora exſtingui, pullos vero emori, poſtquam aërei ſales vtrimque ab igne conſumti ſunt.

Vrinatorum conſtat exemplo, *Halleyi* potiſſimum experimento, vbi ſe ad imas demergunt aquas, tanto difficilior eſt in machina reſpiratio, quo diutius in fundo morantur, et niſi liberiori committerentur aëri, ſuffocari eſſet neceſſe, nam

omni

omni aëreo ſale machina poſt longam reſpirationem exhauſta eſt, nullum amplius ſupereſt natiuum calorem, dic potius ignem, ſuſtentandi pabulum: per incinerationem non niſi alcalici et cauſtici relinquuntur ſales. Extra campanam quoque vrinatoriam colliguntur hi incinerati ſales in corpore, et figuntur in membranis plenis neruorum, quum vero ob figuram et receptas in ſe igneas particulas ſint corroſiui, pro copia maiorem minoremue efficiunt irritationem, vnde ſequitur inflammatio, ſitis, tandem nouiſſime. Quare tunc a fixis his nitroſis aliisque ſalibus ponderoſis corpus liberare prudenti incumbit medico, vt egregie monet *Quincy* in ſuo *Diſpenſatorio de Diureticis*.

Sabuloſum et quoduis praeterea ſolum ſterile, immo ſumma quoque altiſſimorum rigidiſſimorumque montium faſtigia humectabis modice aqua, ſale vulgari ſaturata, aut cinere quouis vel calce reſperge, ſales fixi, quibus hae res abundant, ſuo excipient hoſpitio ſales nitroſos volatiles aëris, qui optatam terris inducent fertilitatem. Olim *Cicero* ſtultorum plena eſſe omnia lepide pronunciauerat, et poſt eum *Rotterodamus* ille Moriae encomiaſtes, at maiori ego iure et quidem merito dixerim: *Nitri plena eſſe omnia*. Hoc quippe eſt rerum fons et parens, et quaſi quaedam anima, quae per ſingulas mundi noſtri habitabilis partes diffuſa eſt. Celebremus itaque Deum T. O. M. patrem noſtrum benigniſſimum vniuerſi, quod pro immenſa ſua bonitate omnia aeque animantia in quibuſuis locis licet abſtruſiſſimis vniuerſali hoc et conſtanti ditauerit naturae theſauro.

Talpa ſit, oportet, ni videat, qui ſtudium chymicum vel primis deguſtauit labiis, nitrum omnium reliquorum ſalium eſſe efficaciſſimae natu-

rae

Aqua regali ſolues aurum; aqua forti argentum; auro fulminanti tonabis, fulminabis; Lapide infernali et lunari vres corpora perpetuo; medicamentoſo eadem ſanabis; Mercurio ſublimato corroſiuo deſtrues derepente; puluere ſympathetico, ſi *Hopliatris* fidem dare placet, vulnera e longinquo ſanabis; atramento ſympathetico in diſtanti, non admota manu, pinges in charta litteras certiſſime; aquae beneficio ignem excitabo; excitabo Mephitim in puriſſimo aëre; tacebo tormentarium vulgo notum puluerem; efficiam, vt fluat metallum in teſta oui temporis momento; et ſexcenta talia; tot tantaque phaenomena non niſi *Nitro* is adſcripſerit, qui naturam eius penitius inueſtigare didicit, ſine nitro enim horum habebis nihil.

Cur tam diuerſa ope nitri producantur effecta? parantur ex nitro, et quae hoc impraegnata ſunt corpora, efficaciſſima cum venena, tum medicamenta; quod nunc praeſentiſſimum fuit venenum, mox Vertumni inſtar in Alexipharmacum conuertitur. Exemplo ſit *Mercurius purus*, quem ad vncias duas de die in diem tribus hebdomadibus ſine vlla noxa fuiſſe propinatum, certum eſt ex inſtituto nupero tentamine; at ſi nitrum adieceris, vt fiat ſublimatus, qui corroſiuus dicitur, prius Arſenico, *Lemerio* teſte, enecat: ex quo deinde principe facile veneno Mercurialem ex arte paramus Panaceam. Ex quo nitro ſalem prunellae, et ſalem elicuiſti polychreſtum, ex eodem ipſo nitro ſpiritum nitri educes, ad ſoluenda metalla efficaciſſimum menſtruum; ex hoc iterum nitri ſpiritu, peſſimo veneno, dulcificatum paramus nitri ſpiritum, potentiſſimum ad tollendas omnium vaſorum obſtructiones medicamentum. Piget plura

adpingere exempla, conſule Stahlium in ſingulari de *Nitro* tractatu, ex eo medicam illius virtutem, multis demonſtratam obſeruationibus, diſces omnium vberrime.

Parantur vero haec omnia ignis beneficio, ignis efficit ſalem nitroſum ita hermaphroditum: non abſimili modo vt in fabrica quoque viuentium corporum ita multifariae exoriantur metamorphoſes, igne profecto opus eſt. Quis vero ille ignis eſt, qui remota morborum cauſſa eſt, tribus dumtaxat verbis diſpiciendum eſt. Ignem dicerem coeleſtem, niſi mordax quoddam hominum genus vererer, ne aculeata in me figat ſpicula. Praeter alios celebris *Goadius*, *Anglus*, in *Aſtro-Meteorologia Sana* hanc opinionem argumentis ex Ratione et longa experientia petitis ſtabilire, exemplis ab omni antiquitate deductis illuſtrare anniſus eſt: legendi ſunt potiſſimum adiecti operi aphoriſmi, *qui de morbis epidemicis et Peſte* inſcripti ſunt. Ex obſeruato hoc ſyſtemate conſecutus eſt olim *Hippocrates*, et poſt eum *Galenus*, tandem *Auicenna* tantam nominis celebritatem. Eoſdem fuiſſe diligentiſſimi *Sydenhamii* conatus, quis ignorat? Magnus quoque *Boerhauius* in curandis morbis habendam eſſe tempeſtatum rationem monet ſubinde. *Newtonus* fuit primus omnium ita lynceus, vt in ipſa abſtruſa naturae penetralia curatius introſpiceret, et quod patres praeterlapſorum ſeculorum in arte medica e longinquo veluti per medias intuebantur nubes, hic in clara poſuit luce; vnde non fuit iam difficile nuper *Meadio* tam feliciter hanc egiſſe cauſſam, vt ſuo illo Tractatu, *de Imperio Solis et Lunae in corpora*, perpetuam ſui nominis memoriam, vt non vano forte diuinamus augurio, ad ſeram tranſmiſſurus ſit poſteri-

ſteritatem: dignus reuera eſt libellus paruae molis, qui a minutis et multum ſtrepentibus legatur philoſophis.

Vident hi optime a feruente nimium ſolis aeſtu homines ſuffocari, quod patriae quoque meae climati familiare eſt, negant tamen in aëre volitantes et in nobis nidulantes ſales ita poſſe torreri, vt mille ſuſcitent morborum ſymptomata. In Laboratoriis noſtris ex commixtione ſalium varia, vt monui, paramus & medicamenta et venena, at horum salium nobiliſima et maxime volatilis portio per aëra circumducitur, fulminis tonitruue docent experimenta, monſtrat ſalis nitroſi abundans ex aëre collectio. Haec vbi pro diuerſo coeleſtium corporum ſitu, diſpoſitione, diuerſoue agendi modo, varie adficiunt effluuia, diuerſa naſci neceſſe eſt phaenomena, non ſecus ac in furnis chymicorum fieri aſſolet, pro multiplici ibidem commixtione et permutatione rerum, multiplex eſt operationis effectus. Semel *ſublimatus Mercurius, corroſiuus* eſt; ſexies ſeptieſue ſublimationem repetis, *dulciſeſt*, et fit *Calomelas*, omnium praeparationum Mercurialium ſaluberrima. Diuerſi gradus in igne quid efficere poſſint, docebit te *Piger Henricus Glauberi*. Prout nemo auream Hermetis comprehendit auiculam, niſi retia prius in aëre tetenderit; ita nemo vmquam aureum *Jaſonis* vellus *Colchide* eripuit, niſi per medias prius tranſierit flammas. Sed quid iuuat famoſiſſimi naturae ſcrutatoris commemorare myſteria? conſule, ſi placet, auctorem, te legiſſe numquam poenitebit. Non poenituit *D. Smithium* in ſuo Laboratorio, *School of Arts* nuncupato, multum huius arare bubula; ſed pro tanto in ſe merito

ſufficere ratus eſt eum nonniſi *German Author* tecto adpellare nomine.

Non eſt mihi hic animus dicere quidpiam de actione Lunae et reliquorum ſiderum, quam dum negas, pulcre adfirmas. Hoſtis huius hypotheſeos infenſiſſimus eſt turba ſedentariam vitam degentium, hi tamen ſunt, qui plurimum de morborum chronicorum conqueruntur carnificina; quando vero, quaeſo obnixe, hypochondriacorum, hyſtericorum, rheumaticorum, nephreticorum, epilepticorum, lunaticorum etc. maxime exaſperantur ſymptomata? adtende, ſi placet, diligenter animum ad aequinoctium et ſolſtitium, ad plenam nouamque Lunam, et ſentiendo in cuticula inordinatos motus perbellle conuinceris. Vtinam numquam talia mihi, rheumatiſmo ſuperioribus annis laboranti, et ad hos orbes ſumma cum diligentia adtendenti, experiri licuiſſet!

Caſp. Bachofenius, Cantor in Heluetia *Tūricenſium*, ante ſexennium apoplexia tactus eſt, vbi poſt quintum menſem e longa experrectus eſt lethargia, cepit eum omnium rerum obliuio in modum Hermogenis, Graeci Oratoris. Ante id tempus ſcriptis nonnullis in Muſica inclaruit, nunc ne prima quidem litterarum elementa nouit ab inuicem diſtinguere. Quouis menſe Lunari ad finem deproperante vena in brachio pertundenda fuit, et ſic ab ingruentibus ſymptomatibus ſemper liberatus eſt. Me auctore factum eſt ſuperiore anno tentaminis inſtituendi gratia, quum eiuſdem conuictu vterer, vt venaeſectio ad ſequentem nouam differretur lunam, ante eam triduo tam larga correptus eſt narium haemorrhagia, vt amici de ſalute deſperarent, et me inſtantis necis reum accuſarent; at per hanc ſanguinis inundationem cerebrum ita purgatum

gatum eſt a redundante pituitoſo humore, vt dimidiata inciperet pronuntiare verba, nomen vero ſuum diſtinctis pingeret characteribus. Vertentibus noxiis quadraturis, paroxyſmis vero recrudeſcentibus, dum magis magiſque ſtuperet, dolores eius mitigaturus docui ſymptomatum exacerbationem in luna eſſe quaerendam, quare poſtea nonnumquam ſplendenti ſideri ſublato minatus eſt digito indice, vt fecit olim *Janus Pannonius*, Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, qui dum videret matrem ſuam in agone conſtitutam acerbius cum morte colluctari, plena luna ad eiuſdem loci meridianum adſcendente, rutilantem planetam celebris poëta, prout finxit natura facetum, iocoſo increpauit epigrammate. Soror *Bachofenii*, virgo bene adulta, quadragenaria, ex delapſu ab alto crurifragium paſſa, iiſdem vrgebatur incommodis ad eaſdem periodos, vt mutuo ſuis ſe ſolarentur doloribus. Ibidem in vicinia virgo aeque vetula, quarum mire foecunda eſt illa regio, ab ipſa tenera aetate ex ea laborat linguae paralyſi, vt quouis altero myſtico illo *Pythagorae* et *Ariſtotelis* reuelato ſeptenario obmuteſcat, et non niſi emiſſo pauco ſanguine vſum linguae recuperat. Vnde inuſitati brutorum motus et indecora laſciuia, qua dolorum aculeos, quos ab exagitatis ſentiunt humoribus, conantur excutere? nonne ab ingruente et mirifice commoti aëris viciſſitudine: nihil dicam de vaſtiſſimo regno animantium, quae ſingula ad hos circuitus, inſignes in mole et pondere ſuorum corporum phaſes perpeti iam ipſa veneranda quoque agnouit antiquitas, id de regno quoque vegetabili vero ſimile eſſe, experientia edocti norunt ex vulgo prudentiores, Pridem monuit naturae myſta, *Plinius* in hiſtoria ſua patresfamilias

infinitum referre in re ruſtica lunae rationem habere, qua creſcente, *ita ille*, frumenta grandeſcere, et omnia, quae caeduntur, carpuntur, conduntur, innocentius ea decreſcente, quam creſcente fieri. Cur docta *Britonum* natio, *Londinenſes* in primis et *Edinburgenſes* ſint tam diligentes in conſignandis vnoquoque die tempeſtatum quarumuis viciſſitudinibus? longa quippe rerum edocti experientia eximiam in arte medica exercenda ex his ephemeridibus nouerunt capere vtilitatem. Hoc tamen non male et ego auſim adfirmare, ex hoc ſyſtemate poſſe omnium commodiſſime id explicari, quod experientiſſimus *Sanctorius* SEC. I. §. 65. de perpetua corporis humani viciſſitudine retulit. Qui haec et talia noſtra aetate in dubium vocauerit, certo prodit indicio ſe mentem *Newtoni* aut noluiſſe, aut, quod verius, non potuiſſe adſequi.

Nega ſane ſuperiorum corporum in inferiora actionem, prout vnicuique eſt liberum, non negabis ignes ſubterraneos; *AEtna*, *Hecla*, *Veſuuius* reclamabunt; *Bathenſes*, *Badenſes*, *Budenſes*, et totius *Europae* ſaluberrimae *Fauarienſes*, aliaeque thermae loquentur; teſtabitur terrae motu recentiſſime omnium concuſſus longiſſimus maris *Mediterranei* tractus, et potiſſimum *Caironenſium* ciuitas, in qua ſola quadraginta hominum millia abſorpta miſere perierunt. Ignis hic ſubterraneus in viſceribus globi terraquaei haerens varie noſtram turbat atmoſphaeram, quum innumeris contagioſis minerarum inficit effluuiis, quae mox ipſa iubet natura adtrahere, et ſi in ea inciderint loca, vbi materia vapida, ſpecificum morbi contagioſi nidulatur fermentum, turbas excitari neceſſe eſt, ſi quidem calor natiuus in nobis contentus velut in

furno

furno quopiam chymico materiae externae accedentis et morbificae in nobis ſtabulantis commixtionem ſublimat, coagulat, deſtillat, praecipitat, detonat, edulcorat, cohobat, mortificat &c.

Hunc chymicum proceſſum inſtituere Naturam vno iuuabit illuſtrare exemplo: In Noſocomio *Ducis Cumberlandiae*, ſoli militum lue venerea correptorum ſaliuationi deſtinato, more receptum eſt, vt inunctis ex arte tibiis et femore, rariſſime humeri cubitiue muſculis, numquam lumborum dorſiue adtingere muſculos, tamen Mercurius, innoxia minera, velut in vaſe quopiam chymico, vrgetur ab interno calore, et cum naturae ſit alcalicae, in tranſitu infiguntur eius poris ſales acidi luis venereae, velut totidem parui cultelli vel ſpicula, et vna ſecum ducit armatam hanc phalangem ad regionem capitis ob nimiam naturae ſuae inſitam volatilitatem, in capite tamquam in Refrigeratorio quopiam ſublimat et coagulat: inde fit, vt caput intumeſcat, internae oris membranae cancris, vix tolerandos dolores excitantibus, vndique obſideantur. Contigit mihi videre nuper in inſigni illa militum turba quemdam, in quo ignis interior tantopere ex acerbauit acidos luis venereae ſales, Mercurii lateribus adunatos, vt Corroſiui Sublimati naturam induerent, nam aeger multum cruorem anxius egerere coactus eſt: sed quum in pertundendam eius venam a nobis eſſet conſenſum, ſequenti die pulcre delinita fuiſſe ſymptomata animaduertimus; Curatur nunc vir iuueuis in *Infirmario* noſtro, *Londinenſi* dicto, qui Pictonum laborat colica, vſu manuum is priuatus eſt ex eo, quod artem ſuam tractaſſet plumbariam. Vides hic ex ſola plumbi verſatione quantopere particulae plumbi volatiles vnitae cum Mercurialibus neruos obſtruxerint. Hinc

non

non miror, vt verbo dumtaxat referam, quod in hac regione audias quamplurimos de varia morborum concatenatione miſere conqueri, qui ex lue venerea Mercurio, in corpore varie modificato, perperam curati ſunt ab his medicaſtris, quorum nomina vbique intra aeque ac extra ciuitatem palis, columnis, publicarum priuatarumque aedium oſtiis, immo patibulis promiſcue adfixa leguntur, non neglectis interim excellentioribus ipſius quoque *Aſclepiadis* elogiis. Ex his itaque clarum eſt, ignem noſtrum poſſe in nobis diſponere forinſecus accedentem materiam, quamuis in ſe innoxiam, vt, vbi commixta fuerit cum quibuſdam ſalibus, lethalia excitet ſymptomata.

Quomodo vero materia morbifica contagionis trahat ad ſe ex aëre eos ſales, cum quibus fermentatus morbum producit, optime ea illuſtrabitur ſimilitudine, qua inſignis medicus vſus eſt *Heluetius*, ſed in re a noſtra prorſus diuerſa: accipe panniculum oleo ſaturatum, impone alteram extremitatem in cyathum, qui vino vel aqua commixtum habet oleum, intactis aliis liquoribus non niſi oleum vnice filtrabitur: idem de aqua vino commixta verum eſt, ſi modo prius alterutro goſſypium contortum ſaturaueris. Tanta quippe eſt homogenearum particularum amica coniunctio!

At vt id quoque ad poſtremum clariſſimo euincatur experimento perſpirationem non obſtare, quo minus vicina corpori cuiuſcumque ordinis miaſmata in corpus irruant, et auide intro abſorbeantur, ſolo commode demonſtrabitur allio, idenim ſi plantis pedum admoueris, tanta eius portio cuticulares ſubitura eſt poros, mox cum ſanguine miſcenda, vt graueolens reddatur emiſſus ore ſpiritus. Quid Cantharides in emplaſtro epiſpaſtico

ſpaſtico ſoli collo adplicatae, poſſint efficere, docuit id non ita pridem *Joan. Bianchius* eruditiſſimus medicus Italus ſingulari contra abuſum Veſicatorii ſcripto tractatu. Sed omnium lucidiſſime infelicibus eorum conſtat exemplis, quos *Diabetes* inſolito fatigauit vrinae profluuio. Non ludet omnino lector operam, ſi *Abr. Kaauium* in ſua *Perſpiratione Hippocratica* anatomice illuſtrata, ante annum ſextum decimum Lugduni Batauorum publicata, legerit in hanc rem ac relegerit.

Doctiſſimus *Morriſius*, M. D. praeceptor ſingulari obſeruantia colendus, in Laboratorio ſuo chymico characteres quoſdam, mea manu in frontiſpicio libri quatuor digitos in craſſitie adaequantis pictos, ſed breui euanidos, atramento ſuo ſympathetico, ex impraegnato Saturno, auripigmento ect. parato, reſuſcitauit diſtincte legendos, vbi nonniſi vltimam illiniuit paginam. Tam ſtupenda eſt in hoc liquore cauſtici illius et volatilis ſalis, putem nitroſi, cum ſulphure in auripigmento ſociati efficacia, vt cum igneis calcis particulis per medioſquoque penetret parietes, et ſimilem priori producat effectum. Hoc artis in natura phaenomenon Magnus quoque miratus eſt Lemerius, vnde explicatu eſſe difficillimum pronunciare non dubitauerit. Sic vides, ex varia corporum commixtione talia produci effecta, quae numquam vera eſſe crederes, niſi ſenſus rite diſpoſiti te indubie conuincerent. Magnes ferrum adtrahit, ſolue problema, inſanum a Gallis accipies praemium. Beneficio Machinae Electricae fulmina quoque in grauidis diſſipabis nubibus, reſponde, ſi placet, et eris mihi ma-

gnus *Apollo*. Quid mirum ergo videtur, quum tot tantaeque ſint in ſuperis, in aëre, in terris, in nobis ipſis efficaciſſime operantes cauſſae, quae mille modis effluuia modificant, quin morbi diuerſi in nobis progignantur.

Quid mirum eſt morbos oriri endemios, epidemios, contagioſos, ſi minima quoque naturae corpuſcula virtute polleant maxima, et quibuſuis aëris viciſſitudinibus corpora noſtra poſſint adfici, tanto magis quum ille plenus ſit penetrantiſſimis efficaciſſimiſque Nitri et Vitrioli ſalibus, qui aliaſquoque terrae craſſiores, ſuperiorum vero corporum ſubtiliores animant congenita ſibi virtute exhalationes: vnam vbi ſic ſingulae ingreſſae ſunt ſocietatem, in media deferuntur animantium viſcera, vbi, interno actae calore, tales excludunt morbos, quales in nido ſunt nactae fomentum, dic, ſi mauis, fermentum.

Ex delineato ſic hoc ſyſtemate poteſt optume eorum phaenomenorum reddi ratio, quae in noſtris contagioſis morbis accidunt. Piget explicandis quibusuis immorari minutiis, harum rerum ſtudioſo obeundam eam committimus prouinciam. Id vnice hic adiiciam, quod e re mea eſſe arbitror quam maxime: Excuſſa ſcilicet morbifica e ſinu materia, locum infectioni in Variolis et Morbillis non eſſe amplius tam notum eſt, quam quod notiſſimum: ita eliciundo in poſterum ope Inoculationis Peſtis ſemine, tamquam putrida reliquorum humorum portione, non male humano conſuletur generi, vt rebus publicis robur et ſua conſtet fortitudo in numeroſa ciuium multitudine.

Is nouiſſime mentem noſtram facillime adſequetur, qui muſti fermentationem reuocat in memoriam: hic dum ſal eſſentiale muſti volatile ſe nititur a partibus oleoſis extricare, ſua volatilitate et ſubtilitate cuſpidatis aculeis inuadit quaeuis obuia, frangit ea, comminuit, lacerat; quare neceſſe eſt oleum, inflammabilem puta vini ſpiritum exaltari, ſordes partim ad latera partim ad fundum praecipitari. Hic ſal tartareus, oleum muſti exaltans, in morbis noſtris contagioſis eſt materia illa natiua, vapida, quae ſua vi corroſiua in coetu reliquorum corporis fluidorum ebullitionem excitat, et, facta eorum purificatione, ſe ad latera, id eſt, ad ſuperficiem cutis adplicat, in aliis in puſtulas concreſcit, in aliis in bubones et carbunculos degenerat. Muſtum vnum prae alio pro ſoli natura, et climatis, magis tartaro impraegnatum eſt, ita et rubrum magis, quam album, ideo quod diutius in vuarum faecibus detentum, quare maiorem digeſtionem requirit, et diutius haeret in corpore. Hanc diuerſitatem inter homineſquoque locum habere nemo non videt. Accidit in Vino imperfectam nonnumquam fieri fermentationem, vbi ſal tartareus ob nimiam phlegmatis copiam debilitatus a partibus oleoſis ſe expedire nequiuerat, repetita vice conatur ſe in libertatem vindicare, inde eſt, tunc tantam illi ineſſe aciditatem et acrimoniam, quae ita tollitur, ſi nouae faeces ſale tartareo imbutae denuo fuerint adiectae. Haec ſingula in noſtris morbis locum habere, mequoque tacente, videbit vnuſquiſque facile, et ex horum conſideratione, eundo per partes, diuerſa illa morborum explicabit phaenomena.

Exempla, forte dices, eorum ſuppetunt, qui plus vice ſimplici Peſtis pertulerunt incommoda, quare eam morbi Tranſplantationem futuram eſſe inutilem? Noui Virum in patria integrae fidei, qui non ſemel retulit ſe morbo peſtilentiali correptum anno labentis huius ſeculi duodecimo, quum dira Peſtis, ſedato inteſtino nouennali tumultu, Regnum inuaderet, ex bubonibus laboraſſe axillaribus; recuperata mox ſanitate, ſepeliendis mortuorum cadaueribus ſaepius interfuiſſe, tandem anno quoque XXXIX^no^ et XL. quum iiſdem in locis a vicinis exportata Barbaris denuo graſſaretur, infectorum mortuorumue cadauera contrectaſſe, ſine vlla noxa tamen, vt ab iterata contagione immunis perſiſteret. Si quos altera vice malum hoc inuaſit, ratio eſt, ſemen morbi in adultioribus ad conſummatam eam peruenisſe maturitatem, vt Natura, ſufficientibus deſtituta viribus, omnem exhaurire ſentinam nequiuerit. Quare ſi in iunioribus aetate inſtitueretur Inoculationis experimentum, prout fit in Variolis, non vana ſpes eſt fore vt omne morbi menſtruum ex corpore penitus exterminaretur; quando quidem his ſordibus nondum per intemperatam viuendi rationem totum adipoſarum partium ſyſtema coinquinatum eſt, ipſa vero corporis textura multo laxior, vaſa omnis generis ſanguifera, chylifera, lymphatica ect. magis elaſtica, cordis reliquorumue muſculorum actio ob vigorem ſuum magis expedita, humorum quorumuis magis temperata ſecretio: ita ad expellendam quoque infectionem magis idonea.

At dices, veritati conſentaneum eſſe minime teneram aetatem ad ſerendos eiuſmodi morbo

magi

magis esse accommodatam, ex Catalogo enim defunctorum discimus, plusquam tertiam Natorum partem prius e vita discedere, quam annum aetatis quintum possint adtingere? Ita quidem id esse lubentes vltro agnoscimus, sed o infelicem parentum, matrum potissimum, in liberos indulgentiam, quod tot tantasque praeposterae educationis oporteat cadere victimas! Tantum quippe prodiga manu illic oleum lucernae adfunditur, vt lumen ante tempus exstingui necesse sit. Reliqua viua naturae specimina quo ouis germinibusue suis propiora sunt, tanto maiore corporis vigore, et sanitate luxuriant: an agnellus vmquam, vel pullus alius quispiam, aut arbuscula ob teneram suam exstincta est aetatem? O foetum terque quaterue felicem, qui solam Naturam veris educationis legibus adstrictam, et errare nesciam nactus est Nutricem prudentissimam! Sed non nisi instituendis in posterum Tentaminibus haec omnis, quam agimus fabulam, reddetur illustrior. Dum Rev. Doctor *Halesius*, Ser. Principis Walliae Concionator aulicus, sollertissimus Naturae indagator, salutares ad declinandam Pestem publicat subinde propositiones, nulli dubitamus, quin indicatum hic auertendae Pestis remedium, forte non postremum, diligenti, pro more suo, perpensurus sit animo.

Si quae vmquam Regio Inoculationis opem requirat, ea profecto meum natale solum est, in quod ex Germania, foecundissima potissimum Sueuia, velut ex praegnante quopiam Equo Troiano aliquot Colonorum millia labente quouis anno vbertim effunduntur. Quot Variolarum & pestilentialis morbi, immane quantum saepenumero

mero graſſantis, internecione deleantur, docent patentiſſimae vbique & ciuibus vacuae ſolitudines. Id quidem forte bellicoſae quoque gentis virtuti non male ex aliqua parte adſcripſeris, quae aeque intra ac extra patriae limites, neſcio quo iure, multum belligerat: & quod vſitatiſſima heic loci turpis ſcortandi licentia ſeueriſſimis interdicta ſit legibus. Hic quum deſinimus, procul ab his Medicorum ſacris eos faceſſere iubemus, qui, a ſuis abrepti hypotheſibus, perperam interpretantur Coi Senis θεῖον πῦ.

FINIS.